

Ad confirmationem respondetur non esse connexionem quasi activam inter substantiam Angeli, et species cujus est capax, sed quasi passivam, et secundum debitum, et exigentiam, ut sibi infundantur. Et talis connexio passiva non facit emanationem formæ a subjecto, sed exigentiam, et debitum connaturale, sicut dictum est. Et ad probationem primam, qua dicitur quod posset Deus non infundere species Angelo, et sic careret illis sine ulla violentia, respondetur ex supra dictis, quod fieret violentia Angelo si species ordinis naturalis ei denegarentur, eo modo quo violentia potest fieri a Deo, id est, operando præter naturam, seu exigentiam naturæ, non renitente, et resistente natura, sicut cum negat concursum igni parato ad comburendum, aut si in corpore disposito, et organizato, non infunderet animam rationalem, in quibus casibus agitur præter ordinem exigentiamque naturæ, licet natura ipsa suo auctori non resistat, sufficit quod oppositum naturaliter petat, et in id inclinetur, et ei denegetur, quæ est renitentia connaturalitatis.

Ad secundam probationem sæpius dictum est, non esse has species supernaturales, licet immediate a Deo infundantur, quia dantur juxta capacitatem, et exigentiam seu inclinationem naturalem ipsius Angeli, et a Deo auctore naturæ, non operante juxta potentiam obedientialem; sicut etiam anima creatur a solo Deo, et infunditur corpori, nec tamen supernaturalis est ejus creatio.

Ad tertiam probationem dicitur deberi ex vi creationis non solum proprias passiones, sed etiam accidentia inseparabilia, et connaturalia, et requisita ad perfectionem naturæ pro eo statu, quia ad generationem pertinet dare suo effectui non

solum formam, et proprietates ejus, sed etiam requisita ut in debito statu collocetur, sicut Deus in ipso instanti creationis debet tribuere Angelo motionem, et concursum ad operandum, quia pro eo statu est debitum ei operari, nec tamen concursus ille est propria passio. Et motus cordis tribuitur viventi a suo generante ex vi generationis, et motus cœli ipsi cœlo; et tamen neuter motus est propria passio, cum motus cœli sit a motore extrinseco, motus cordis sit vitalis elicitive proveniens a vivente, licet motive a generante; et ita cum sit actio, seu motus elicitus a vivente, proprie non est passio emanans. Itaque pertinet ad creationem, vel ad generationem primam, non solum eadem productione attingere proprietates emanantes a natura, sed etiam accidentia, aut modos requisitos ut pro illo statu constituatur in sua perfectione debita, et cum Angelus debeat pro illo instanti operari cognoscendo, oportet quod illi tribuantur species, sine quibus non cognoscit.

Ad ultimam probationem dicitur, quod non est Angelus secundum se, et per se inferior anima humana, quia licet de facto illi Deus denegaret species, tamen de jure seu connaturaliter ab eo exiguntur, et petit eas habere perfecto modo immediate a Deo: anima vero non nisi imperfecte, et ab objectis eas accipiendo per intellectum agentem. Quod si comparamus Angelum nudatum speciebus a Deo, cum anima se illis vestientem beneficio intellectus agentis, quid mirum quod Angelus per accidens, et præter naturam habeat statum imperfectiorem, cum tamen ex sua natura perfectiorem exigat. Sed si volumus justam comparisonem facere, consideremus animam sine intellectu agente, vel sive concursu Dei ut

intellectus agens eliciat species, sicut eas denegat Angelo, et videbimus quis perfectior maneat. Nam quod anima nostra beneficio intellectus agentis acquirit, Angelus beneficio Dei creantis habet. Quod si Deus non crearet universum, sed unum tantum Angelum, vel corpus, non esset Angelo debitum plura cognoscere naturaliter quam creaturam quæ est. Unde si tantum est una creatura, illius tantum habebit speciem, nec plures ei debemus pro illo statu tam modico, sed hoc est per accidens, et relinquitur ab arte.

## ARTICULUS IV.

*Utrum superiores Angeli intelligant per species universales, et quomodo?*

I. Universalitas specierum in representando, vel cognitio objecti in universali potest intelligi dupliciter, juxta D. Thomam in hac quæstione lvi, art. iii ad ii, qu. viii de veritate, art. x ad 1, uno modo ex parte rei cognitæ, seu objecti representati: alio modo ex parte medii cognoscendi, aut representandi. Tunc dicitur universalis representatio, aut cognitio ex parte rei cognitæ, quando cognoscitur aliqua natura in universali, ut aliquod genus, vel species, v. g. animal ut sic, vel homo ut sic in communi. Et ista representatio vel cognitio parit confusionem respectu eorum quæ sub tali natura, et objecto cognito continentur, quia inferiora potentialiter continentur sub genere, vel specie. Tunc dicitur universalis representatio, seu cognitio ex parte medii, quando ipsa ratio formalis attingendi, seu lumen sub quo manifestatur aliquid altius, et universalius est, et pene-

trantius; sicque plura complectitur, et illuminare potest. Et talis universalitas conducit ad perfectionem, distinctionemque cognoscendi: tanto enim profundius aliquid cognoscitur, pluresque rationes de re aliqua comprehenduntur, quanto universalior, et altior est lux manifestans illas.

Est ergo difficultas in duobus.

Primum, an species representativa in se una existens possit plura tamquam inadæquata objecta representare, saltem representando plura individua, ita quod sicut datur una potentia, et una virtus potens plures actus elicere, ita detur una species potens plura representare, saltem singularia.

Secundum, an etiam plures quidditates specie distinctas, seu plures rationes in eadem quidditate possit unica species representare sub aliqua altiori, et universaliori ratione; et ita quanto Angelus fuerit superior et altior, tanto elevatiores et altiores habeat species, quæ sub unica ratione intelligibili, et sub una luce plura complectatur.

II. Circa primum communiter tenetur dari in Angelis species universales, hoc est representantes plura singularia, et ad illa se extendentes, licet de hoc aliqui dubitent, præsertim qui tenent Angelos haurire ab objectis species, et unamquamque speciem, quæ sumitur a rebus singularibus, esse singularem: quod attribuitur Scoto in ii, distinct. iii, quæst. x.

Et fundamentum est, tum quia a qualibet re accipitur una species, quam talis res de se præbet: ergo de unaquaque re singulari una species accipitur, et non una species a pluribus singularibus; et sic non representant plura singularia. Tum quia una species unicam, et indivisibilem habet representationem; et sic vel representantur illa plura

singularia ut conveniunt, et sunt similia inter se, vel ut distincta, et disconvenientia; si ut distincta non unica, et indivisibili repræsentatione repræsentantur, et est contra unitatem speciei. Si repræsentantur ut conveniunt, et sunt similia, non repræsentantur proprie, et distincte, sed confuse, et in communi, tum quia alias una species repræsentaret infinita individua, quia qua ratione repræsentat plura, repræsentabit omnia, et illa simul posset cognoscere Angelus, quod omnino absurdum est: imo, et res diversissimas atque oppositas inter se repræsentaret, qualia sunt multa accidentia, quæ habent diversa individua, sicut albedinem et nigredinem, calorem et frigus, tam varias inclinationes, ingenia, vires, etc. tum denique, quia non est assignabilis una ratio objectiva, sub qua illa plura conveniant, et distincte repræsententur: in natura enim specifica vel generica abstracta non distincte, sed confuse et potentialiter continentur: non est autem assignabilis aliqua alia ratio, in qua conveniant, et sub qua repræsententur: sine unitate autem objecti repræsentati, non est una illa repræsentatio speciei.

III. Nihilominus S. Thomas, et cum eo communis sententia fatetur dari species universales in Angelo, quod ad minus intelligi debet de speciebus universalibus complectentibus plura singularia: nam si pro quolibet singulari indiget distincta, et diversa specie, nulla restat universalitas in speciebus. Sequuntur S. Thomam omnes ejus discipuli, et communiter theologi, quorum plures in hac parte citat, sequiturque p. Vasquez hic disp. cccii, c. ii; Suarez, lib. ii de Angelis, c. xiv; Alarcon tract. vi de Angelis, disp. iii, c. iii.

Et fundamentum est tum a prio-

ri, tum a simili, tum ab inconveniendi.

A priori quidem, quia non repugnat adæquatum objectum alicujus speciei continere plura individua, aut quia ex illis de facto componitur, aut quia in illa divisibilis est, sicut unus mons, aut cumulus, aut domus ex pluribus individuis constat, puta ex pluribus lapidibus aut granis terræ, lignis, et arboribus, quæ omnia unica specie repræsentantur: nam et unica visione etiam a nobis videntur etiam cum distincte, et non confuse attinguntur. Quis enim dicat non posse unica visioni videri montem, aut campum, qui ante oculos est, ubi concurrunt plures arbores, animalia, homines, simulque distincte videntur, præsertim ab acuto visu, et singulorum actiones proprietatesque notantur? Similiter si videatur mare aut fluvius, unico visu, et specie attingi potest, et tamen divisibile est in plura individua aquæ: absurdum autem videtur quod aqua illa divisa non possit unica visione, et specie videri, cum divisa est, et plura individua habet, cum autem est adunata, possit. Non ergo est inconveniens quod una species repræsentet plura individua, et una cognitio ea attingat. Species ergo angelicæ, quæ incomparabiliter altiores, et perfectiores sunt speciebus nostris, poterunt plura individua in una specie adunare.

IV. A simili idem deducitur, quia videmus quod non repugnat unam potentiam, unum habitum, unum actum versari circa plura, et varia individua: ergo neque repugnabit unam speciem repræsentare plura. Patet consequentia, quia repræsentatio non minus adunare potest ordinem ad objecta, quam virtus, vel potentia: sicut enim plura objecta adunari possunt in aliqua ratione formali ut attingantur sub illa ab

aliqua virtute vel potentia, ita possunt adunari sub aliqua intelligibilitate seu ratione intelligibili, ut repræsententur, vel quia habent inter se convenientiam et similitudinem, vel quia habent continentiam in aliqua ratione, sicut partes continentur in toto, et sicut plura individua ordinari possunt ad aliquam causam vel finem, aut aliquam aliam rationem, sub qua perfecte continentur, et sic sub illa repræsententur etiam distincte, et proprie, quia sic continentur ibi, sicut proprietates continentur in natura; et sicut ternarius continetur in senario, et imperfectum in perfecto: ergo non repugnabit quod ista plura, quæ sic materialiter plura sunt, formaliter adunentur in aliquo in quo repræsententur ut contenta. Similiter unus actus cognitionis potest plura objecta attingere cognoscendo, ut constat ex dictis: ergo etiam poterit una species attingere repræsentando. Consequentia patet, quia unica cognitio egreditur, et formatur ab unica specie, vel saltem non repugnat ab ea formari: ergo si non repugnat unam cognitionem attingere plura objecta, neque repugnabit unam speciem ea repræsentare.

V. Denique, ab inconvenienti eadem veritas probatur; tum quia si quodlibet singulare indigeret sua specie, deberent istæ species in infinitum multiplicari in Angelo, quia infinita sunt individua possible; de facto vero erunt infinita saltem accidentalia, quia per totam æternitatem infinitæ operationes erunt in Angelis, et hominibus. Tum etiam quia adhuc ad cognoscendum unum, et idem individuum non sufficet unica species, quia etiam contingit in eodem individuo concurrere diversa accidentia, variasque operationes, quorum singula vel indigent singularibus speciebus,

vel non. Si indigent, non poterit etiam unum individuum substantiæ perfecte cognosci ab Angelo comprehensive, nisi per plures species. Unde nunquam dabitur una species, quæ sufficiat ad comprehensionem perfectam, etiam unius individui, quia nullum est individuum ejus comprehensio non dependeat ex pluribus accidentibus, et respectibus. Si non indiget: ergo qua ratione possunt plura accidentia, et operationes repræsentari unica specie, quatenus pertinent ad eandem singularem substantiam, etiam poterunt plures illæ substantiæ individua unica specie repræsentari quatenus coordinantur sub eadem natura, vel sub aliquo tertio in quo continentur, vel tamquam sub causa, vel tamquam sub fine, aut sub aliquo alio ordine, aut ratione, ut postea amplius explicabitur.

Ad fundamenta opposita respondetur.

VI. Ad primum negamus Angelum acquirere species a rebus, ut articulo præcedenti ostensum est; et sic non est necesse quod species Angelorum quodlibet individuum seorsim repræsentent. Imo dato quod a rebus acciperent species, non sequitur quod a pluribus individuis non possent unam speciem recipere, quatenus sub aliqua ratione formali conveniunt, vel tamquam in similitudinem naturæ, vel tamquam in aliquo alio ordine vel medio inter se connexa, et convenientia: nam etiam nos a pluribus individuis abstrahimus unam speciem, vel ex pluribus unam formamus, quatenus illa plura coordinantur in aliquo medio aut respectu. Multo ergo fortius virtus Angeli, quæ vivacius, et efficacius res penetrat, posset in unica specie plures adunare rationes individuum, etiamsi ab objectis species desumeret.

VII. Ad secundum dicitur, quod unica species habet unicum, et indivisibilem modum repræsentandi ex parte rationis formalis, et modi repræsentandi non ex parte rerum quæ repræsentantur ut contentæ sub tali ratione formali, et materialiter plures esse possunt. Atque ita unica species indivisibilis potest habere plura repræsentata materialiter, sub una tamen ratione formali. Et cum instatur, quod sic non repræsentantur distincte, et particulariter, sed in confuso, et in communi, respondetur quod si repræsentarentur ut unum ex parte rei cognitæ, verum esset; sed si repræsentantur ut unum ex parte medii, et modi cognoscendi, plura autem, et distincta ex parte rei cognitæ, quia lux illas manifestans, et penetrans una est, et ad plura se habet, negamus quod repræsententur in confuso, et in communi, et non in particulari. Quid sit autem hoc medium sub quo illa plura sic cognoscuntur, statim dicemus circa sequentem difficultatem.

VIII. Ad tertium respondetur, quod infinita individua possunt repræsentari ab aliqua specie, ut contenta in aliquo finito, scilicet in aliqua natura, vel medio, aut sub aliquo ordine in quo adunantur finito modo; et sic nullum est inconveniens quod repræsententur infinita inferiora ut contenta sub aliquo superiori in quo finito modo continentur. Nunquam tamen hæc infinita individua cognoscuntur naturali modo simul, et collective, quia non sic continentur in aliqua ratione formali, vel natura creata, sed semper cognoscuntur ut finita in actu, solum autem infinita in potentia, et syncategorematicæ; et sic non est inconveniens attingere infinita, neque per aliquam potentiam, et cognitionem attingendo illa, neque

per aliquam speciem repræsentando. Quod autem cognoscantur diversæ, et contrariæ rationes convenientes diversis individuis, nihil inconveniens est: nam etiam eidem individuo hæc convenire possunt, saltem successive, aut in diversis partibus; omnia enim ista attinguntur sub aliqua ratione formaliter una, in qua illa plura adunantur vel conveniunt, vel secundum similitudinem, vel alio modo, seu sub aliquo respectu, et ordine, sub quo adunari possunt.

Ad ultimum dicemus sequenti difficultate, ostendendo quomodo plura etiam specificè diversa possunt repræsentari in unica specie conveniendo in aliqua ratione formali repræsentandi.

SPECIES ANGELICÆ QUANTO SUPERIORES, TANTO UNIVERSALIORES, ETIAM RESPECTU DIVERSARUM QUIDDITATUM.

IX. Circa secundam difficultatem supra propositam, auctores qui ponunt dari species universales in repræsentando in Angelis, concorditer fere tenent, quo Angeli sunt perfectiores, eo etiam universaliores et pauciores species habere, et consequenter posse dari aliquas species, quæ repræsentent plures quidditates specie diversas; alioquin si quælibet repræsentaret tantum unam quidditatem specificam, et solum posset plura individua unica repræsentatione attingere, eodem modo multiplicarentur species in Angelo inferiori, atque in superiori, quia nec ultra unam quidditatem specificam posset una species repræsentare, nec posset minus quam unam quidditatem specificam repræsentare, et ejus individua sub illa: non enim pro singulis individuis singulas species habent. Nullius

enim Angeli intellectus est, in quo oporteat secundum multiplicationem individuorum species multiplicare, ut inquit S. Thomas in II, dist. III, q. II, art. III ad III. Licet autem hæc sententia communis sit inter theologos, qui tenent species Angelorum non sumi ab objectis, tamen p. Vasquez hic disp. CCIII, cap. II et IV, tenet quod ex hypothesis quod dentur species in Angelo adhuc non posse cum fundamento vel probabili conjectura affirmari, quod perfectiores Angeli per universaliores species intelligunt. Molina etiam super hac quæstione LV, art. III, opinionem D. Thomæ incertam censet, et Arrubal, disp. CLXV, cap. II. Sed tamen p. Suarez lib. II de Angelis, c. XIV, et sequentibus tenet contra Vasquez cum communi theologorum, imo et p. Alarcon supra citatus, cap. III, numero VII.

X. De mente D. Thomæ in hac parte dubitari non potest, cum expresse hoc teneat in hac quæstione LV, art. III et in II, dist. III, quæst. II, art. II, et qu. VIII de verit. art. X, ubi ad secundum amplius hoc exprimit dicendo, quod: « In Angelo superiori per unam speciem animalis omnes animalis species repræsentari possunt. » Denique videri potest II contra gentil. c. XCVIII et ejus discipuli, et commentatores super ista loca.

Fundamentum sumitur, tum ex D. Dionysio, quem in hac materia de Angelis communiter theologo venerantur, et consequuntur; tum ex ratione. Ex D. Dionysio citantur duo loca, tum ex capite XII cœlestis hierarchiæ, tum ex capite X. Priorem locum affert D. Thomas hic qu. LV, art. III quod: « Superiores Angeli participant scientiam magis in universali quam inferiores. » Quæ verba sanctus doctor citat magis secundum sensum, quam secundum

corticem litteræ: loquitur enim Dionysius de ordine Cherubim, sub quo dicit: « Esse alios spiritus, qui particularem habent scientiam, seu partem scientiæ pro modo suo atque inferiori modo. » Ex quo occasionem sumpsit Vasquez ad interpretandum hunc locum sic, quod Dionysius solum intendit inferiores Angelos pauciora scire quam superiores, non per species magis, vel minus universales, quia de speciebus nec verbum tractat Dionysius. Et sic verba Dionysii secundum translationem Perionii solum significant scientiam Angeli inferioris esse partem scientiæ superioris, id est, aliquid de illa habere, pauciora, scilicet objecta, attingendo quam superior Angelus. Frustra tamen Vasquez hac responsione conatur effugere vim testimonii Dionysii: nam ut bene contra eum ponderat Suarez, in rerum naturalium scientia (de qua ibi videtur loqui Dionysius) non attingunt superiores Angeli aliqua objecta, quæ non attingant superiores, cum totum universum, et quidquid naturalis ordinis est, eis pateat, ut etiam ipse Vasquez non negat loco citato, cap. IV in fine. Non ergo ex parte rerum cognitatum differentia est in Angelo inferiore, quasi pauciora intelligit objecta, quam superior, sed in modo intelligendi, quia superior magis universaliter, seu per pauciores species, et magis unite intelligit, quam inferior: sic enim ipsemet Dionysius in eodem libro, cap. X dixit: « Supremam hierarchiam illustrari perficique obscuriore, et clariore divinitatis lumine, obscuriore quidem quod magis spiritualis sit, et simplicius, ac magis unum efficiat; clariore autem quod primum datum sit, primumque splenduerit, et magis totum fit, magisque in eum ordinem ut nitidum, et liquidum effundatur. » Nec potest juvari Vas-